

C. B. D.
EX JURE PUBLICO
De

1664
Q/ 7
LANDSASSIIS,

ITEMQUE
SCHRIFFTSASSIIS

ET AMBTSASSIIS,
CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM
ORDINIS, IN ACADEMIA WITTEN-

BERGENSI,

PRÆSIDE

NOBILISSIMO

DNO. WILHELMO LEISERO,

JCTO ET P.P. EXCELLENTISSIMO,

CURIAE ELECTORALIS, FACULTATIS

JURIDICAE ET SCABINATUS ADSESSORE

AMPLISSIMO,

PATRONO ET PRÆCEPTORE REVERENTER

ET SUBMISSE COLENDO

PUBLICE DISPUTABIT

AUGUSTUS BECKER

STOLPENSIS.

IN AUDITORIO JCTORUM, A.D. AUGUSTI.

ANNO PARTÆ SALUTIS CL. I. C. LXIV.

HORIS ANTEMERIDIANIS.

Typis MICHAELIS Wendt.



C. B. D.
EX FARE PUBLICO

LANDSASSIS

SCHRIEFTASSIS

ET AMBASSIS
CONSENSU MAGNIFICI AC TORNA
ORDINIS IN ACADEMIA WITTEN

PRÆSIDIO
NOBILISSIMO

DNO. WILHELMO LEISERO.

ICTO ET P. EXCELLENTISSIMO

CURIAE ELECTORALIS FACULTATIS

JURIDICÆ ET SCABINATUS ADRESSORÆ

AMPLISSIMO

PATRONO ET PRÆCEPTORE REVERENTER

UT SUBMISSE COLENDO

PUBLICÆ RESPONDET

AUGUSTUS BERGERS

STOLPENSIS

IN ABBATORTIO JONAN M. A. D. AUGUSTI

ANNO P. M. C. LXXV. CL. LXXV.

HORIS ANTE MERIDIANIS

1795 MICHAELIS





I. N. D. N. J. C.

THES. I.

Dericulosam esse Landsasfiatus definitionem, ac multis Imperii conventibus sollicitè quidem quæsitam, nondum tamen inventam, auctor est *WAREMUND AB EHRENBURG de fœder. Libr. II. cap. 1. n. 40.* cujus rei ex dicendis apparebit causa. Nunc verò monendum id duximus, ne quis absolutam eam & omnibus numeris perfectam impræsentiarum à nobis expectet: id tantum propositum habentes, ut rogati in chartam conjiciamus, quæ Discursui ex Jure Publico occasionem inter commilitones præbeant.

II. Cæterum, ut quæ de Landsasfiis paramus dicere, facilius percipiantur, R. P. cæ status ob oculos ponendus est: quam rem paulò altius repetere lubet. Prima, unde faciem aliquam R. P. cæ Germanicæ pingere liceat, lineamenta ferè ex *TACITO & C. JULIO CÆSARE* ducuntur: quorum tamen cum ille nunquam, hic à limine tantùm intraverit Germaniam, ac prætereà, utroq; fatente, apud Germanos exiguus aut planè nullus, in interioribus cum primis partibus, illo tempore commerciorum fuerit usus, conjicere hinc datur, quàm firma & ab omni fabulâ aliena esse possint, quæ de moribus publicis majorum nostrorum inibi traduntur.

III. Putat autem *CL.* ac de antiquâ Germanorum historiâ præclarè meritis *VIR Dn. HERMANNUS CONRINGIUS de Urbibus German. n. 45* formam R. P. cæ in Germaniæ civitatibus, h. e. provinciis, ex populari & optimatum Statu mixtam fuisse: quòd libertatis cura maxima suapte sponte Democraticum
A quid

quid produxerit; perpetuum autem bellandi studium potestatem quamlibet majorem ad nobiliores aut prudentiores traduxerit. Quod nos facile admittere possumus, modò ne quis populi nomine omnes in R. P. cā homines, sed, ut ipse *CONRINGIUS* monet, *plebem tantum ingenuam* intelligat. Plebem autem ingenuam dico, *non burgarios* sive cives, quos hodiè vocamus; *minus rusticos*, sed *ordinis Equestris hodierni seminarium*, imò ipsum illum ordinem in majoribus suis, cujusque regionis Germanicæ indigenis.

IV. Namque rusticos, quos patrio sermone die *Bayren* dicimus, servos illos esse, quibus non in Romanum morem descriptis per familiam ministeriis Germanos uti: sed suam quemque sedem, suos penates regere: Dominum frumenti modum, aut pecoris, aut vestis ut colono injungere, *TACITUS* scribit *Libr. de Situ, morib. & populis Germaniæ c. 25.* *PHILIP. CLUVERIUS* *L. 1. de German. Antiq. c. 15.* observat. At rusticos hos aliquam partem R. P. cæ tunc temporis attigisse nemo crediderit, cum nec liberti, (*Frilashi die Freygelassenen/ it. Lasfi die Gelassenen CLUVER. d l.*) qui supra servos erant, aliquod momentum in civitate fuerint, dicente *TACITO cap. eod.* Porro, cum civicus ordo eò tempore in Germaniā fuerit nullus: nullas enim Germanorum populis urbes habitari; ne pati quidem inter se junctas sedes auctor iterum *TACITUS* est *de morib. German. cap. 16.*, relinquitur ingenuam plebem fuisse, qui servis istis, quos hodiè die *Bayren* dici ostendimus, ut colonis utebantur: qui bellatore equo ac cruentā frameā adeò gaudebant, *Id. c. 14.* quibusq; inter munera dotalia frenatus equus cum scuto & frameā probabatur, *Id. c. 18.* scil: quos ante 200. annos, & quod excurrit, solos in Germaniā militasse, ac ideò omnem tunc exercitum solo ferè equitatu constitisse scribit *CHRISTOPH. BESOLDUS de Jure ordinibusq; civium c. IX. n. 7.* Nobiles sive Equites hodiè dictos. Penes hos igitur in liberis Germaniæ civitatibus sive populis rerum summa fuit, qui in conciliis de majoribus rebus omnes consultabant, *Tac. Germ. c. 11.* & in iisdem conciliis principes eligebant *c. 12.* licet insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam

etiam adolescentulis dudum assignassent, sed hactenus inter
comites, c. 13. h. e. Principum assedas & ministros.

V. Equidem *nobiles genere* inter Germanos fuisse hoc ipso
argumento, quod insignis nobilitas in principe eligendo mo-
mentum habuerit, ac item, quod Reges ex nobilitate sumserint
Germani, Tac. c. 7. evincitur: illeq; inter Saxones ordo gentis
primarius *Atbelingi* vel *Edlingi* dictus *Huchaldus Elnonensis Abbas*
in vitâ B. Lebini, Nitbard. Histor. Franc. lib. IV. Cluver. cap. alleg.
confirmat. Sed volunt nomine illo, non ordinis Equestris ho-
dierni viros intelligi, sed solos illos, qui juris dicendi potestate
valentes vulgò *Grassen* aut *Fürsten* appellati fuerint: Dn. CON-
RING. *de German. Imper. Civib. n. 25.* quò facit, quod Ministeria-
les h. e. ordinis Equestris viros ad sua usq; tempora Nobilium
titulo haud insignitos refert ALBERT. CRANTZIUS *in Metrop.*
L. III. cap. 11.

VI. Porro eandem R. P. eæ faciem apud omnes Germaniæ po-
pulos fuisse, in tantâ gentium varietate quis credat? Quan-
quam enim ad summam rerum parum forte intererat, utrum
per *Principes* (quos vernaculâ linguâ *Graviones* sive *Grassen* ap-
pellatos putant,) illa administraretur: (quale regimen Saxo-
nibus olim placuisse à WITECHINDO *Lib. I. Annal.* doce-
mur) an Reges præessent, nequaquam liberâ, minus infinitâ
potestate: TAC. c. 7. illis tamen gentibus quibus unus imperita-
bat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi, ut est
exemplum apud TACIT. *cap. 44.* eandem libertatis prærogati-
vam vindicare velle perquam fuerit absurdum.

VII. Quæ de priscis R. P. carum Germanicarum formis
hactenus diximus, magnam partem conjecturis niti supra non
disimulavimus: neq; multum certiora sunt, quæ sequentium
mox temporum historia habet. Unde nos illa tantum seque-
mur, quæ minus dubia & à pluribus tradita, instituto nostro
sufficere queant, generalem saltem rerum Germanicarum
ἱστορίαν Lectori exhibituri.

VIII. Igitur varias postea R. P. carum per Germaniam
mutationes factas nemini nisi in historiâ nostrâ hospiti ignarum
esse potest. Memorabilis cum primis illa fuit, quæ *Romanorum*

accidit auspiciis: a quibus in provincia formam aliquæ superioris Germaniæ partes redactæ ius suum R. P. cam constituendi simul amittere, ad victores illo translato. Neq; enim permiffum erat Provincialibus legibus patriis uti, sed mittebatur à P. Romano Magistratus cum imperio & securibus, dicente *HOTTOMANNO in Franco Gall. cap. III.* Pertinent huc *Consularis Germania Prima & Consularis Germania secunda*, qui *Vicario septem Provinciarum* suberant, hic verò *Præfecto Prætorio Galliarum*, cui videre est in *Notit. Imper.* ubi *Dioeceses Viri Illustris Præfecti Prætorio Galliarum* enarrantur. *Comitem rei militaris Argentoratensem, Duces limitaneos Retia prima & secunda, item Belgica secunda, Germania prima, Mogunciacensem*, qui & ipsi in *Præfecturâ Galliarum* sub dispositione *Magistri peditum præsentatis* enarrantur, prætereo lubens, quoniam ad *bellicam non civilem* administrationem eorum officia spectasse videntur.

IX. Seqvuntur tempora, quibus variæ gentes ex *Borealibus orbis terrarum partibus* & Germaniâ nostrâ progressæ Cataclysmi instar in orbem Romanum sese effuderunt. Commotus Septentrio quasi totus, & illi etiam populi, qui in Romanos impetum non fecere, passim sedes suas mutare coacti. Neque tamen R. P. carum formæ apud populos istos propterea multum immutata: quoniam non per exercitus, sed cum familiâ suâ omni progressæ hæ gentes simul mores suos locis, quos occupaverant, inferebant: donec *Francorum* potentia reliquis major feliciorq; & Gallias & Germaniam in unum consociavit corpus. Quatuor is seculorum labor fuit, Merovingianâ familiâ rerum apud Francos potente, à *CAROLO M.* demum superatus, cum Saxones XXX. annorum bello attritos, magis in civitatem recepit, quam subjugavit, ut autor est *EGINHARDUS in vitâ Caroli Magni.* Cui pulcherrimo operi coronam imposuit *Imperatoris Romani ætiora*, Romæ primo seculi Christiani Noni die in Basilicâ D. Petri Carolo delatum, ac ex eò tempore cum transalpinis, ut Italorum more loquar, gentibus communicari cceptum.

X. *Monarchicum* fuisse *Caroli M.* imperium dubio caret: atq; illorum, qui provinciis præerant, Ducum & Comitum potentiam,

rentiam, non, ut nunc, propriam & hereditariam, sed precariam & à Regis nutu pendentem. Ipsi autem Duces ac Comites ferè finium amplitudine inter se discernebantur, latioribusq; illorum, angustioribus horum præfectura terminis circumscribebatur. Quanquam enim quidam Comitum Ducibus parebant, quod unus Ducatus pluribus constabat Comitibus: hoc tamen ubique hand obtinebat, & quibusdam Comitibus provinciæ sine Ducibus regendæ data: ut benè monet *Dn. CONRING, de Ducib. & Comitib. Imper. Germ. n. 11. & seqq.* ubi illud etiam observat, nimiam Carolo M. visam fuisse Ducum potentiam, ac proinde ipsum aliquos sustulisse, provinciis eorum inter plures Comites distributis, ferè ad Episcoporum, qui Ecclesiasticum magistratum gerebant, numerum. Unde illa in *Capitulis Caroli & Ludovici Imp. ab Ansegiso collectis L. III. cap. 25. In Vefontio, quæ est Diæcesis Bernoini Archiepiscopi Heimoinus Episcopus & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ est Diæcesis Heistulphi Archiepiscopi, idem Heistulphus Episcopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiscopus & Ermundus Comes & c.*

XI. Monarchicum fuisse Carolo M. temporibus regni statum dixi, non tamen *Dominatum*: quippe de negotiis regni in Comitibus consultabatur disentiendi libertate relicta. Probat hoc *Epistola Hincmari, Rhemensis Archiepiscopi ad quosdam Episcopos Franciæ, inter Epistolas ejus III. c. 29. Consuetudo tunc temporis (loquitur de ætate Carolo M.) talis erat, ut non sæpius sed bis in anno placita duo tenerentur: Unum quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spatium, quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toti regno incumberebat, mutabat. In quo placito generalitas universorum majorum tam clericorum quàm Laicorum conveniebat. Seniores propter consilium ordinandum: minores propter idem consilium excipiendum & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententiâ confirmandum. Ubi, quæ fuerit illa generalitas universorum majorum, dubitatur. Cl. Dn. CONRING. Dissert. de German. Imper. Civib. n. 32. textum laborare putat; unde ipse, generalitas majorum & minorum, legit, minoresq; multitudi-*

nem sive plebem interpretatur. Ego ut omnes de fece populi ad consilium pariter tractandum admissos haud crediderim; quæ quidem neq; laudati auctoris sententia esse videtur: ita civicum ordinem (Germaniâ scil. inde ab abjectâ Idololatriâ gentili urbibus excoli cœptâ; Galliâ verò dudum iisdem clarâ) à comitiis istis non exclusum facile dixerim.

XII. Transeamus ad propiora & genti nostræ magis propria. Postquam enim inter Caroli M. nepotes, *Ludovici Pii filios*, Imperium Carolinum divisum fuit, *Germania regnum* separatas status sui causas à Gallia habuisse constat. Satis exercita fuere ob barbarorum invasiones & varias inter Caroli M. posteros defunctibus regnorum & Romani Imperatoris titulo dimicationes, regni huius separati initia, donec *Carolinâ stirpe* in Ludovico IV. Arnolphi filio *extinctâ*, Anno post Christum natum **IOCCCCXII.**, *Conradus* Francorum ex genere oriundus (*Francorum Dux, Witichindus l. 1. Annall.*) Vir strenuus, bellorumq; exercitio doctus, Rex cunctis à populis ordinatus fuit, ut loquitur *LUITPRANDUS TICIN. Lib. II. Histor. cap. 7.* Atque sub hoc Conrado insignem illam *Status Germanici mutationem* cœpisse, ut qui hæctenus Regis nomine provincias administraverant, *proprio & hereditario*, fiduciario tamen sive feudi jure imposterum eas tenerent, communiter receptum reperio, ac primum, qui hanc prærogativâ meruerit, fuisse *Henricum* Saxonix Ducem, post Germanix Regem & *Aucupem* dictum, *Lehman in der Speyrischen Chronik. lib. IV. c. 1. BEAT. RHENAN. L. II. Rer. German. Titulo, Status German. sub Imperatorr. Saxonn. & iis, qui hos insequuti sunt. Dn. CONRING. de Ducib. & Comit. Imper. German. n. 22.* Historiam rei narrat *Witechindus L. 1.* Quæ, si ita sunt, initia superioritatis territorialis, ac qui illi ex parte subditorum respondet, *Landasfiatus* hîc nobis figenda erunt.

XIII. Scilicet gubernatio quidem omnis primarium objectum homines habet, ac in illos exercetur: quod ad eò verum est, ut cum talis gubernatio absque hominibus, in quos exerceatur, esse non possit, nihil tamen impediatur, quin absq; regione aut territorio consistat. Sic Militum Dux in alieno licet territorio bene militibus imperat: Sic Patriarchæ, cum in terrâ

terrâ Cananæa peregrinarentur, summo quidem jure familia
suæ (quæ numero suo civilem aliquam societatem referebat,
belloq; inferendo par erat, *Gen. 14.*) præerant, ipsi nullius impe-
rio obnoxii; territorium tamen proprium non habebant: &
hodiernum gentes Tartaricæ & aliæ, quæ Nomadum more cer-
tas sedes non locant, non terrarum finibus, sed hominum nu-
mero imperium suum circumscribunt. Veruntamen, ubi mo-
ratiores gentes fixis sedibus degunt, magnum omninò mo-
mentum ad publicam tranquillitatem habet, imperium in ho-
mines spatiis ac finibus certis regionum terminari. Quæ eò
à nobis dicuntur, ut intelligi possit, *duo* esse, quæ superiorita-
tem territorialem ac Landeshatium constituunt, alterum *im-*
perium in homines, alterum, secundarium nempe, *certum terræ*
spatium, cujus occasione, ut sic loquar, hoc imperium in ho-
mines intra illud terræ spatium existentes datur, atq; illo cir-
cumscribitur.

XIV. Sed ut revertamur unde digressi fuimus, quod Henri-
co Saxoni primùm contigisse supra memoravimus, ut proprio
& hereditario jure provinciam suam teneret, illud deinde *sub*
eodem Henrico rerum potito, ac sequentibus Imperatoribus
Saxonicis *pluribus* concessum esse constans eorum, quos modò
citavimus, aliorumque nostratium sententia est. Vid. *WIL-*
HELM. Beckers Synops. Jur. publ. L. III. cap. 4. n. 14. Multa tamen
ex territoriis concessis excepisse Imperatores illos, sibi que &
Imperio retinuisse, in quæ deinde variis titulis jus à Principi-
bus quæsitum fuerit, *MÜNSTERUS Libr. III. Cosmogr. cap. 22.*
in fin. & ex hoc *LEHMANNUS loc. cit.* scribunt, resq; ipsa
loquitur. Hinc enim potissimum varia ista in Imperio jura or-
ta videntur, ac diversa regiminis ratio, ut impossibile fuerit
eandem omnibus inducere formam. Singulis provinciis, imò
singulis sæpe civitatibus, ac tantùm non oppidis suæ sunt con-
suetudines, suæque privilegia, quibus censei meritò debent,
nec, quæ in illos exercetur, regiminis forma invita ad illam,
quæ alibi forte obtinet, componi. Quòd cùm non animad-
verterent quidam Juris publici Doctores seculi nostri, ac ean-
dem superioritatis territorialis formam omnibus inducere
vellent,

vellent, factum est, ut non eadem reliquis de hac eorum territoriali superioritate esset essentia. *Magnif. Dn. REINKING. de Regim. Secul. & Ecclesiast. Lib. I. Cl. V. Cap. III. n. 2. eam nec legibus expressam, ait, nec usu juris satis definitam, aut certis limitibus circumscriptam, adeoque juri nostro scripto incognitam & solis moribus introductam, varieq; usurpatam.* Autor der Kaysers heimischen *Confutation p. 20. Die Landesfürstl. Obrigkeit ist vor alters im Reich eingang unbekandt Ding gewesen/ und ist erst ein neuer foetus nostri seculi: ut refert Dn. LIMNÆUS Tom. I. Addit. ad Libr. IV. Jurispub. cap. 8. n. 182.*

XV. *Causam rei exponit BECKER l. cit. n. 18. ubi dicit, a-ctus territorialis superioritatis, è quibus tam superioritas, quam sub-jectio arguatur, varios esse, plurimosq; adulationem adinvenisse, adeò ut omnia jura, qua Principes prescriptione aut longo usu acquisierint, juri territoriali vulgo adscribantur: & ADAMUS KELLER de Offic. Juridico-politicis L. II. c. 12. postquam varias superiorita-tis hujus territorialis species s. jura & gradus, ac in illis deniq; die mitlauffende und Nieder Obrigkeit recensuisset, addit, daß der o-selben so viel seyn/ daß man schier nicht mehr daraus kommen könne: unde illum ridiculè quidem, sed hoc ævo nostro haud admo-dum ineptè exclamasse censet, daß er seinem gnädigen Herrn alle Obrigkeit auf- und unter der Erden/ auch so viel noch künfftig erdacht werden möchten/ jetzt als denn/ und denn als jetzt per expressum vor-behalten haben wolle. Posset & illud addi, quod cum ex variis istis juribus non nisi certa quædam hujus, alia alterius regio-nis Principi olim competerent, illis deinde conflatis ac gene-rali superioritatis territorialis nomine indito, fieri non po-tuerit, quin formam hanc regiminis novam pristina invita ad-mitteret.*

XVI. Hinc itaq; intelligi potest, cur, quod supra *Tbes. I. ex WAREMUNDO AB EHRENBURG* diximus, Landstasfia-tus definitio multis Imperii conventibus quæsitæ, & nec dum inventa fuerit: quoniam scilicet: varium in Imperio nostro re-gendi jus non potest non variam etiam ac diversam subdito-rum conditionem constituere: quam proinde unâ eademque regulâ comprehendere velle, per fuerit absurdum: ut hic
adeò

adeò cum primis usu veniat, quod ex *JAVOLENO* scribitur in l. 202. ff. de R. I. omnem definitionem injure periculosam, & parum esse, ut non subverti possit.

XVII. Quare ut semel ac verbo dicam, quid de toto hoc negotio sentiam, nunquam mihi satis probatum fuit argumentum illud, quo ab uno aut altero aut pluribus etiam talibus superioritatis territorialis actibus sive speciebus, ad totum complexum concluditur. Mores ac observantiam cujusque regionis ac loci spectandam, illisq; tamdiu standum puto, donec aut Princeps plus sibi jure licere, aut subditi se minus debere ordinario modo ostenderint.

XVIII. Nequaquam tamen nobis hinc subsistendum erit, sed Landsassatus natura, Landsassiorumq; conditio describenda specialius; quod vix commodius fieri poterit, quam ut removeamus prius illa hominum in Imperio nostro genera, quibus conditio ista non competit. Igitur satis constat, *Status Imperii, quò tales*, Landsassiorum numero non censi. Dico *quò tales*: neq; enim novum injure nostro, duplicem quem sustinere personam: arg. *L. Jus Senatorum C. de Dignitat. Lib. 12. & cap. à collatione. de appellat. in 6.* atq; sic statum Imperii etiam certo respectu, ob bona forte possessa vel domicilium contractum, Landsassium haberi nihil implicat. *Vid. GAIL. de arrest. Imper. c. 6. n. 60. & seqq.*

XIX. Sed h. l. quinam Imperii Status dicendi sint, dubitari potest. Diversimode enim Statum Imperii definiunt auctores, uti apparet ex illis, quæ traduntur à *LIMNÆO Lib. I. Jur. publ. c. 7. n. 86. & seqq.* Ipse ex eo, num quis in Matriculam sive Album Imperii receptus sit, nec ne, hanc quæstionem dijudicandam putat: *d. cap. eamq; suam sententiam binis addit. Tomis ad ill. loc. propugnat.* Sanè, si ex eo, quod Status quis appellatur, aut non appellatur, juribus ac privilegiis ejus neq; derogatum neq; additum quicquam cupiamus, quæstio hæc de nomine tantum fuerit. Placet autem nobis ex *CL. scriptorum, PAUERMEISTERI de Jurisdic. L. I. c. 6. n. 4. CONRINGII de German. Imper. civib. th. 7. & seqq. Magnifici Dn. CARPZOVII de Lege Reg. Germ. cap. 3. sect. 12. num. 38.* sententiâ Status Imperii

B

à glo-

ad huc illis nunc deferre, qui immediati cum sint, jus suffragii in comitiis ferendi habent: atq; hos tales Landsasiiis contradistingui dubio caret.

XX. Porro cum sint *immediatè Imperatori subjecti*, neq; tamen proinde nomine Status Imperii gaudentes: Absch. des Deputation-Tags zu Worms de Anno 1564. §. Und wollen wir. (quales cum primis die Freyen Reichs von Adel) hosq; itidem Landsasiiis contradistingui constat, relinquitur, solos *mediatos* Landsasiiatus subjectum constituere. Quod adeo verum esse constat, ut *omnes Romano-Germanico Imperio mediatè subjectos* Landsasiorum numero non incommodè cenferi posse statuamus. Quanquam enim & *Civitatum Imperialium* incolæ Landsasii vocari haud soleant, (sicut nec ipsis civitatibus Imperialibus prædicatum der Landes-Fürstl. Obrigkeit tribuitur *ELUTEN. Syllog. rer. quotid. conclus 7.*) multo verò minus illi, qui *Nobilibus immediatis*, der Freyen Reichs Ritterschafft/ parent: at tamen cum quod summum imperium in Principe est Landes-fürstlich/ in Comite Gräfflich / id in civitatibus sit *Städtisch/ MEICHNER. Tom. 2. lib. 1. decis. 8. n. 2. &c.* ac jurisdictio omnimoda apud immediatè nobiles in Camerâ Imperiali juri territoriali Principum æquiparetur, *BECKER. L. 3. cap. 10. n. 5. ex BIDENTBACH. quæst. nobil. 1. n. 9. & seq.* merito in civitatum Imperialium incolis & talium Nobilium subditis, licet non nomen Landsasiiatus, rem tamen ipsam & subjectionem eandem admittimus.

XXI. Igitur Landsasiorum nomen *strictiori* acceptione *subditis illorum Statuum* tribuitur, qui *Principum* generali appellatione in Imperio nostro veniunt, sive, qui in comitiis in dem Churfürsten- und Fürsten collegio suffragia ferunt. Res ipsa, unde Landsasii appellentur, ex iis intelligi poterit, quæ Th. XIII. diximus: Est enim nihil aliud, quam subiectio respondens imperio sive superioritati certis territorii limitibus circumscriptæ. Hoc imperium sive superioritatem territorio circumscriptam dicti Principes ab Imperatore habent nomine Imperii sub qualitate feudali concedi solitam, & ex Dd. sententiâ in omnes intra territorii istius fines habitantes fundatam:

ram; adeo, ut qui se liberum ab hujusmodi Landsasfiatus nexu asserit, illam libertatem probare teneatur, Dn. REINKING. de Reg. Secular. & Eccl. Lib. 1. Cl. 5. cap. 1. num. 24. & seqq. Dn. MYLER. de Princip. & Statib. Imper. c. 89. KLOCK. de Contributt. cap. 20. n. 296. BECKER. lib. 3. cap. 4. n. 17. & Dd. communiter: quibus contradicit ZACHAR. VIETOR de Exemption. conclus. 27. motus potissimum, quod juxta c. Jus naturale dist. 1. omnis res à primævo statu & jure libera præsumatur. Verum cum hæc præsumtio generalis valde sit, cui per specialiores derogari, dominiis scilicet divisis ac imperiis constitutis, absurdum videri haud debet: juxta L. in toto 80. π. de R. I. porro, cum ipse etiam Vietor in Imperatore istam Dd. regulam admittat, dicti autem Principes ab Imperatore, ceu ostendimus, & nomine Imperii, territoria sua feudi jure teneant; à regula istâ haud recedendum arbitramur. Quanquam de ampliacionibus hujus regulæ: ut, quod nec quietæ libertatis possessio hoc probandi onere subleuet inhabitantem ZIEGLER. ad Aur. Prax. Calvol. §. Landsasfiin. 24. REINKING. d. l. n. 44. item, nisi doceat titulum suæ possessionis, quod statim expelli & ad subjectionem reduci possit, nec quicquam possessionis emolumento adjuvetur, MYLER. d. cap. aut quod talis ne quidem spoliatus restituatur, priusquam titulum docuerit, MATTH. STEPH. de Idiët. Lib. 2. Part. 1. c. 7. n. 81. merito dubitamus cum Dn. LIMN. lib. 4. c. 8. n. 187. Reliquis Vietoris argumentis respondet Dn. REINKING. all. cap. qui videri potest.

XXII. Ubi autem intra territorium existens, territorii Domino non subjicitur, Exemptus vocatur: alio planè sensu, quam quo Exempti dicuntur ii, quos Status Imperii potentiores ab immediatâ Imperii subjectione exemere, sibiq; in Landsasfios subjecerunt, de quibus VIETOR de Exemption. conclus. 9. & seqq. Sicut autem Landsasfiatus ex territorio oritur, ita ferè huic exemptioni locus in territorio exemptus fundamentum præbet: Unde distinctio Dd. quod locus alius IN territorio, alius DE territorio sit, Germanicè *Meines Fürsten Land / und UNTER eines Fürsten Land und Obigkeit gelegen BIDENBACH. qq. nobill. 1. n. 16. Vietor Conclus. 27.* Quoties igitur locus in territorio

existens territorialis Domini superioritate exemptus est, locum illum per se territorium facere à provinciâ separatam, dicunt *MEICHSNER. Tom. 2. lib. 1. decis. 8. in causâ Hirnheim contra Pfalz n. 43. REINK. l. 1. Cl. 5. c. 1. n. 76.*

XXIII. Pertinet huc cum primis *distinctio territoriorum*, quod alia sint, in quibus viget *Landsasiatus*, alia in quibus non, *MAGER. de Advocat. arm. cap. 6. n. 671. & seqq.* illa etiam *clausa* sive *conclusa* territoria appellant, hæc *non conclusa*: *BESOLD. de Ordin. Equestr. n. 6. MYLER. de Statib. Imper. cap. 89.* quæ *distinctio* solius *Equestris ordinis immediati*, *der Freyen Reichs von Adelsgratiâ* recepta videtur, quorum castra in territoriis Principum sita, neq; tamen à Principibus istis, sed ab ipso Imperatore dictis Nobilibus in feudum concessa, quodammodo territoria à Provinciâ separatâ, ceu præcedenti *TH.* docuimus, constituunt. Atq; tales provinciæ, in quibus territoria non conclusa sunt, *Svevia, Franconia, Rhenana, Wederaviaq;* vulgò recensentur, *BECKER. lib. 3. c. 4. n. 17.* quibus forte non malè *Alsaticam* addideris, ex quo illos etiam Nobiles liberos & immediatos esse ex privilegiis *Alsaticæ Nobilitati* ab Imperatorr. *Matthia & Ferdinando II. felicis mem. concessis*, quæ exhibentur apud *Dn. LIMN. Tom. I. Addit. ad lib. 6. cap. 3. n. 71.* constat. Adde *Pacificat. Monasteriensem* inter *Imp. Ferdinand. II. ac Regem Galliarum Ludovicum XIV. §. Teneatur Rex Christianissimus.*

XXIV. Originem *distinctionis* hujus inter territoria, sive unde factum sit, quod tantum illarum provinciarum Nobiles immediatè Imperatori subsunt, alibi verò Principes & Dominos territoriorum, ut superiores, agnoscunt, pluribus indagat *BESOLD. Discurs. de Ordin. Equestr. n. 6. & ex eo WILHELM. BECKER. l. cit. ut & l. 3. c. 10. n. 3.* Nos omnem hujus rei causam ad unius familiæ *Hohenstauffensis* sive *Svevicæ* in fortissimi Imperatoris *Friderici Barbarossæ* profapiâ interitum referri posse putamus: quippe familiam istam *Ducatum Sveviæ & Franconiæ & Palatinatum Rheni* in titulis suis patrimonialibus enumerâsse constat. *LIMN. Lib. 6. c. 3. n. 45. ex CRUSTO Part. 2. annal. Sveviæ l. 9. c. 6.* quâ deinde extinctâ & nobiles istos & complures civitates Provinciales ad imperium transiisse, imme-

immedietatemq; adeptos esse nobis verisimile est. Sed hæc la-
tius deducere instituti nostri ratio non patitur: illud hinc col-
ligi potest, hanc immedietatis prærogativam ex meritis aut vir-
tute non venisse, sed fortunæ donum fuisse, ut proinde minus
rectè fecerint, si qui ex istis nobilibus immediatis alios Eque-
stris ordinis viros Landsassios præ se contemnant.

XXV. Ergo ex nostrâ sententiâ Svevicæ familiæ interitus
ordinem immediatorum nobilium in Imperio enâsci fecit;
cui deinceps incrementum dedit vicinorum Principum aut fa-
cilitas aut imprudentia, dum feuda propria familiis istis con-
cedentes non satis sibi de territorii jure prospexerunt. Per-
miserunt enim feuda sua ad eos pervenire, qui se in subdito-
rum numero haberi minimè paterentur: ex receptâ regulâ,
quod Vasallus respectu personæ suæ feudi Domino non subji-
ciatur, ac Vasallagium ex non subdito subditum haud faciat.
*GAIL de pignoration. obs. 15. n. 3. MATTH. STEPH. de J. dict. L. 2.
Part. 1. c. 7. n. 183.* De quâ regulâ ego quidem sic sentio; forte ma-
jores nostros, ubi primum feuda instituêrunt, tam accuratè in-
ter fidelitatem promittere, quod Vasallus facit, ac subditum
se agnoscere non distinxisse, nec credibile esse, feudorum Do-
minos meliores territorii sui particulas in beneficium iis, qui
se subjectos profiteri erubescerent, concedere voluisse. Sed
nunc usu aliud invaluit, à quò temerè propterea recedendum
non est.

XXVI. Atque hinc ortum trahit *distinctio Nobilium alia*:
quorum quidam *Vasalli nec Landsassii*, alii *Vasalli Landsassii* sunt
& dicuntur: Illi Germanicè *Lehensleute* / hi *Landsassen* absolute
appellantur: distinctionem in Franconiâ receptam tradit
*CLUTEN. Syllog. rer. quotid. Th. 26. lit. K. & LIMNÆUS Libr. 6.
Jur. publ. cap. 6. n. 2.* Differentia in eo consistit, quod Vasalli nec
Landsassii, die *Lehensleute* καὶ ἐξοχῆν dicti, coram Domino non
nisi ratione causarum feudalium comparent: in aliis causis a-
lios iudices singulares habent, vel iudicium Rothvilense vel
aliud. Sed Vasalli Landsassii indifferenter ratione omnium
causarum, etiam non feudalium, coram Domino comparere te-
nentur, ut referunt *allegg. Autores*. Nos illud hic animadver-

timus, hanc vocabuli *der Landsassen* acceptionem, quã de nobilibus aut Vasallis tantum prædicatur, *strictissimam* esse; quamvis videam, hanc distinctionem inter *Lehensleute* & *Landsassen* ab aliis aliter explicari, & *Landsassios Nobiles* eos vocari, qui planè nulla bona feudalia possident, hãcque ratione Vasallis nobilibus contradistingui, *Dn. MAURITIUS, Professor Tübingeris, amicus noster in Dissertat. de Nobilitat. Th. 39.*

XXVII. Sed distinctioni huic *in Saxoniam nostrã*, h. e. provinciis Serenissimæ Saxonicae domui subjectis, locus non est. Satis enim constat omnes in eã Vasallos *Landsassios* esse, neque discrimen illud inter *Lehensleute* ac *Landsassen* admitti: quod ex formulã *Vasallagii der Lehens-Pflicht* in Curiiis Saxonice usitatã, apparet, quã promittit Vasallus, daß er wolle getreu / hold / gewertig und gehorsam seyn / wie einen getreuen Lehensmanne gebühret &c. Vocabulo enim *gehorsam seyn* subjectionem promitti apud nostros *tralatitium* est, *GAIL. de arrest. c. 7. n. n. GOEDD. in respons. de Baron. Vallend. n. 479. SCHWANMAN. decis. 10. n. 116. REINK. de Reg. S. & E. l. 1. Cl. 2. cap. 2. n. 89.* Quod adeo verum est, ut nec in *Franconia* (quæ provincia territorium non conclusum habet, ut *th. 23.* diximus,) illis partibus, ubi domus *Saxonica* imperat, aliud servetur, ceu patet ex literis à *Johanne Casimiro Duce Saxonie* ad *Pro-Electorem Fridericum Wilhelmum Eisfeldiã* 4. Maj. Anno 1597. datis, quorum tenorem refert *Magnif. Dn. CARPZOVIVS de Jure ac Privilegio Serenissimorum Principum Electorum & Ducum Saxonie de Non-appellando th. 53.* his verbis: *So hat es auch die Meinung gar nicht / wie Eu. Ebden Rath D. Hartman. Pistoris erinnert / daß sich die Ritterschafft (scil. in districtu Coburgensi) vor uns / als dem ordentlichen Richter / zu stehen nicht schuldig erachten wolten / dann sie uns jederzeit dafür erkennen / in persöhnl. und dingl. Klagen für uns gestanden / recht geben und genommen / welches wir aus unserer Sangeley fast mit infinitis actibus zue bescheinigen / wie sie denn weniger nicht an uns appelliret.*

XXVIII. Scilicet, quæ *Saxonie Principibus* parent, provincia, ex illarum numero sunt, quarum territoria conclusa vocantur, sive in quibus *Landsassiatas* viget: (*junge th. 23.*) quales præ-

præterea enarrantur Palatinatus Rheni, Hasfia, Bavaria; *BEC-
KER Synops. Jur. publ. l. 3. cap. 4. n. 17.* Archi Ducatus Austriae,
Marchia, Ducatus Brunsvicensis, *LIMN. Lib. 6. Jur. publ. c. 4. n. 3.*
item Pomerania, *STEPH. de Jurisd. l. 2. Part. 1. c. 7. memb. 2. n. 130.*
& nostrâ sententiâ omnes quotquot non exceptæ & à nobis
Th. XXIII. relatæ sunt. In his provinciis qui habitant, Landsas-
sii sunt, *BECKER. all. l.* quod minus dubii habet, quando quis
ex illa provinciâ, in quâ habitat, etiam oriundus est: ubi verò
locum nativitatis mutavit, originarius civis jure quidem Ro-
mano originis loco ejusq; juribus obnoxius manet, *L. origine C.
de municip. § orig. L. assumptio 6. ff. ad municip. § de incol.,* consue-
tudine autem generali domicilii translatione illo nexu solvi-
tur *GAIL. L. 2. obs. 36. n. 7. Excell. mus Dn. HAHNIUS ad Parat. We-
semb. tit. ad municip. § de inc. num. 4.* ut adeò domicilium potissi-
mum sive incolatus Landsassios hodiè constituat. Potest ta-
men fieri, ut forensis etiam Landsassius vinculis obstringa-
tur, quando v. c. ex generali consuetudine vel provinciæ statu-
to bona non aliter acquiri & comparari possunt, quam cum o-
nere subjectionis, qualia statuta in Germaniâ multa, iisq; stan-
dum esse tradit *GAIL. de Arrest. c. 7. n. 8.*

XXIX. Definiunt Landsassium *WEHNER. in Pract. Observat.
verb. Landsässerey & REINKING l. 1. Cl. 5. c. 1. n. 82.,* quod sit homo
jurisdictionalis, cui in omnibus præcipi potest ac mandari à Domino
territorii: quod nunc latius paulo deducere placet. Nempe
Landsassius vinculum superioritati territoriali respondens
ad ordinem publicum, quem Deus T. O. M. inter inferiores &
superiores, parentes ac imperantes esse voluit, pertinet, & ju-
xta illius regulas formandum est. Quare, quò se usq; *jus impe-
randi* in superiore territorii extendit, eò *debitum obediendi* in
Landsassio pertingere dubium non habet. Jus autem impe-
randi dum dicimus, *indefinitum* quid pronunciamus; quod pro-
inde juxta Philosophicas regulas *universale* tamdiu statuimus,
donec limitatio probabilis afferatur. Interim ipsi nos jus il-
lud imperandi restrictum volumus, ne quid contra *superiorem
suum* attentet superior territorialis. Hinc primùm *DEUM
T. O. M.,* supremum omnium Dominum excipimus, cujus præce-
pta

pra jusfis suis violare adeò fas non est ulli superiori, ut omnem suam potestatem potius ad amplificandam divinam gloriam conferre debeat. Pertinet huc *jus Naturale*, quod meritò *divinum* appellatur: *Excellentissimus Dn. STRAUCHIUS Dissertat. in Pandect. l. n. 4.* quoniam illud natura naturans *GL. in L. 1. §. 3. de Just. & Jur. h. e.* Deus ipse constituit & rationi humanæ implantavit. Quicquid igitur injustum factu esse recta ratio dicitur, non imperat superior: quin potius ipse juxta regulas juris naturalis regimen suum moderatur: quò referimus pactorum observationem, si quæ superiori territorii cum Landsassis suis convenère, itemq; , ne quid temerè circa receptam regiminis formam mutet: neq; enim aliud quid æquè ad tranquillitatem quietemq; publicam facit, quàm formâ regendi consvetâ uti, ac quantum fieri potest, minimum in illâ immutare.

XXX. Pertinet & illud ad jus superioritatis ex præscripto juris naturalis formandum, ut sciat superior *finem* sibi propositum *non propriam sed subjeetorum utilitatem* esse debere. Neq; moror, quod ex communi sententiâ imperia quædam *herilia* esse dicuntur, *GROT. de J. B. & P. l. 3. c. 8. n. 2.* & quod *superioritas territorialis* hodiè feudi jure & *in patrimonio* habetur, quâ ratione videri posset, jus illud imperandi, ut alias res, quas in patrimonio habemus, ad utilitatem Domini ordinatum esse. Verùm hereditarium in territorium jus & civile in subjectos imperium se invicem non tollunt; ac, ut jurisdictio in patrimonium concessa sit, non tamen homines simul proprii facti, quod ad herile imperium omninò pertinet, intelligi debent. Testatur id libertas emigrandi Landsassis relicta, de quâ mox inferius, & cum primis Ordinum provincialium Comitia passim in Germaniâ à territorii Dominis celebrari solita. Taceo quod merè herilia Christianorum in Christianos esse posse imperia vix videntur, eo sensu, ne utilitatem subditorum curare teneatur imperans: neq; enim officio suo sibi divinitus demandato ullo semodo subtrahere potest Magistratus, quem bono subditorum à Deo institutum Apostolus probat *ROM. XIII, 4.* Quare sic sentio, Magistratû omnem, adeoq; superiorem etiam nostrum territorialem propriâ ac formali sui ratione, quâ superior

rior est, ad utilitatem subditorum ordinatum esse, hancq; ipsum & universonum & singulorum, quoad fieri potest, curare debere: cæterum addidisse DEUM T. O. M. pretium laboris illis, qui in superioritate constituti sunt, opes ac potentiam quibus Magistratus quidem ad R. P. cæ utilitatem rectè utuntur, cum ipsa illa interim per se ac immediatè ad personam Principis ordinentur: prout itaq; ex his plus minusvé, vel certo jure vel ex consuetudine aut observantiâ penes territorii Dominum est, eatenus plus minusvé civilitatis, ut sic loquar, ejus in Landsassios imperium habet. Sed hæc latius deducere illius operæ est, quæ officium superioris exactè format: nobis verò de Landsassis sermo; quem ut exequamur, illud delineasse sufficit.

XXXI. Post DEUM T. O. M. (junge *tb. 29. circa med.*) Imperatorem excipimus & Imperium, cui obedientiam, quam à Landsassis suis exigit, vicissim præstat territorialis superior: neq; enim laxiori vinculo illi obligatur, sed itidem, daß er dem Römischen Kaiser und dem Reich treu / hold / gehorsam und gewärtig seyn wolle / jurat, ut refert *REINK. Lib. 1 Cl. 2. c. 2. n. 202.* quam non Vasallagii sive fidelitatis, sed homagii etiam, h. e. subjectionis formulam esse *tb. 27.* monuimus. Hinc Imperatoris auctoritatem sanctam sibi esse patitur, Recessus Imperii servat, neq; hos adversus ut operentur Landsassii sui, eos adigit.

XXXII. Atq; intra hos limites si decurrant imperia superioris territorialis, dubium non est, debitum obediendi ex parte Landsassiorum illis respondere, ut *Tb. 29.* præmisimus. Neq; tamen etsi excedant, protinus debito hoc liberamus Landsassios. Ex inferiorum enim sive parentium numero cum sint, *debitum obediendi indefinitum sive universale* non minus iis imponimus, quam jus imperandi itidem indefinitum ac universale d. th. superiori dedimus. Id ut dicamus, ordinis ratio à DEO inter Magistratum & subditos constituti postulat, qui & tunc manet, quando jure qui imperat superior, imperat non justa. Servi per omnia obedire jubentur ab APOSTOLO PAULO COLOSS. 3. & à PETRO, ut subiecti sint Dominis non solum bonis & æquis, verum etiam *σκολιῶς* h. e. pravis & ini-

C

quis,

quis, admonentur *I. PETR. 2.* quod de servis licet dictum, ad nostrum tamen casum applicari ob eandem, quæ subest, ordinis rationem nil vetat; taceo, quod & aliàs magnam cum servitute convenientiam Landsassius habet: *Vid. GROTI. Comment. in Epist. Paul. ad Phil. quæ tractatui ejus de I. B. & P. adjuncta est, not. ad vers. 15.*

XXXIII. Sed nec ex alterâ parte obedientiam absq; exceptione, & cæcam, qualem Jesuitæ à suis exigere dicuntur, imponimus Landsassius. Itaq; sic procedimus: Aut eò tendunt imperia superioris, ut aliquid in se admittat & patiatur Landsassius; aut ut ipse quid peragat & effectum reddat. Priori casu omne *resistendi jus* adimimus Landsassio, etsi cum injuriâ conjunctum sit superioris imperium. - Sed quid si damnum, quod imminet, irreparabile sit? quo casu resisti posse antumant *COVARRUV. L. 1. Var. Resol. c. 2. n. 12. ZOËS. ad ff. tit. de Just. & Jur. n. 30. per c. non in inferenda XXIII. q. 3.* quid si injuria ad eos pertingat, quibus defensionem debet noster, liberos, conjugem, familiam, subditos, si quos forte habet Landsassius? Tutio rem sententiam arbitramur, quæ sic quoq; resistendum non esse asserit. *Εξουσία* sive potestas superiorum ordini à DEO addita licentiam & facultatem in genere denotat, adeoq; in subjectione, quæ ex parte subditorum illi respondet, limitationem ex eo, quod injustè adhibeatur, admittere non potest; sed & ipse ordo inter Magistratum & subditos, de quo *præced. th.*, ubi repugnat inferiori loco positus, quâcunq; demum ex causâ, salvus non manet. Quod autem assertur defendendi debitum sive quoad vitam & personam propriam, sive quoad familiam, publicâ auctoritate munitum non est, adeoq; magis in permissis, quàm præceptis haberi debet: quoad subditos verò, si quos habet Landsassius, quamvis publicâ auctoritate gladium gerat, adversus superiorem territorialem tamen eò uti nullo modo potest, ne publicus ordo turbetur. Accedit quod contraria sententia nullo Scripturæ S. dicto perspicuò aut exemplo probari potest, contra ea patientiâ toties commendatâ, subjectione & obedientiâ etiam præceptis. Nam quæ ab *AMBROSIO in d. can. Non in inferenda.* allegantur, exemplum

emplum Moyſis Ægyptium occidentis & Salomonis ſententia,
Eripe eum, qui ducitur ad mortem *PROVERB. 24.* de vi, quæ
ordinario Magiſtratu opponitur, diſertè non loquuntur; al-
terum verò heroicū etiam eſt, nec temerè imitandum: *Vid. CHE-*
MNIT. Loc. de vindictâ qu. 1. circ. fin.

XXXIV. Itaꝫ; reſiſtendi licentiam Landſaſſiis adimimus:
tolerandum eſt patienter, inquit *ÆNEAS SYLV. in Lib. de orb.*
Et autor. Imp. Roman. c. 16. quicquid Princeps facit iniquè, expectan-
daꝫ; eſt vel ſucceſſoris emendatio, vel ſuperni iudicis correctio, qui
violentias & injurias non ſinit eſſe perpetuas. Præter auxilium ta-
men ſuperioris, ſcil. Imperatoris, ſi tempore haberi poteſt, im-
plorandum *fugam* etiam permittimus tali caſu Landſaſſio.
Moralistarum non improbabilis ſententia eſt, ſontem in pœnâ
ſuſtinendâ nîl niſi patientiam debere, ac ſub icu gladii quoꝫ;
poſitum, ſi deur occaſio evadendi, fugere poſſe: eò quod ho-
neſtus in naturâ affectus ſit, qui vitæ ſuæ conſervationem cui-
vis commendet: adde *ZOES. ad tit. ff. de cuſtod. & exhibit. reor.*
n. 21. Minus itaq; de hâc licentiâ dubitandum eſt, ubi, quod ti-
metur malum, injuriâ venit: neq; enim ordo publicus hâc fu-
gâ læditur, ac non dubiis exemplis oſtendi poteſt, Sanctos
quoque viros haud rarò periculo imminenti fugâ ſe ſubtra-
xiſſe.

XXXV. Haſtenus de imperiis ſuperioris, quæ patientiam
à Landſaſſio exigunt: Ubi verò quid præcipitur, *quod agat*
Landſaſſius, caveat cumprimis, *ne in DEum ſit injurium.* Nul-
lum enim humanum obedientiæ vinculum arctius nos ligat,
eo quod inter creatorem & creaturam cum vitæ cuiuſq; initio
oritur. DEO itaq; magis obediendum, quàm hominibus
ACT. 5, 29. certò ſtatuat Chriſtianus Landſaſſius: quod in illis,
in quibus quis cum conſcientiâ ſuâ perſuaſus eſt, ſibi hoc vel
illud juſſu DEI agendum aut omittendum eſſe, dubium non
habet. Difficultatem verò patitur, ſi dubitat, ac ne, quod ſibi
agendum præceptum eſt, Deum offendat, veretur, ut videre eſt
apud *GROT. de Jure B. & P. L. 2. c. 26. n. 4.* Pugnant enim regulæ
morales duæ: *quod dubitas, ne feceris; & illa AUGUSTINI,*
Tene certum, relinque incertum: certum autem eſt, obedientiam

Magistratui deberi, incertum, num Deum ista actio offendat. Nos pro *posteriori* calculum ferimus, ne aliàs omnis imperiorum ratio concidat, cum nunquam non ex carnis & Diaboli suggestione de justitia præceptorum à superiore subditos dubitare evenire possit. Neq; curamus Grotii argumentum, in dubio partem tutiorem eligendam: sæpe autem, tutius & minus malum esse, abstinere v. c. à cæde imperatâ, quæ injusta esse possit, quàm inobedientem esse. Respondemus enim in his civilibus peccata ex proposito & intentione potissimum æstimanda, & suapte natura gravissimum omnium inobedientiam esse. Pertinet huc, quod *AUGUSTINUS* scribit contra *FAUSTUM* L. 22. c. 74. *Vir justus, si forte sub Rege etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si civica pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra DEI præceptum certus est, vel utrum sit certus non est: ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

XXXVI. Quid si Imperatori adversum sit, quod agere jubetur Landsassius? Equidem superiorem territorialem obedientiam Imperatori debere *Tb. 31.* diximus, cui consequens est, ut adversari ei jure non possit. Veruntamen ubi, qui imperat superior, non justa præcipit, haud protinus debito obediendi subditum liberari itidem præfati sumus *Tb. 32.* Quare cum ex *Dd. nostrorum* sententiâ territorialibus Dominis fortius obligentur Landsassii, quàm Imperatori, idque propter juramentum speciale, quod iis præstant *PETR. GREGOR. de concess. feud. p. 7. qu. 4. n. 12. MATTH. STEPH. de 7. dict. L. 2. Part. 1. cap. 7. n. 38. REINKING. de Regim. secul. & Eccles. L. 1. Cl. 5. cap. 5. num. 66.* inde obediendum esse concludimus. Adde, quod territoriales tales subditorum suorum supremos post *DEUM* esse Dominos, verba *NOS DEI GRATIA*, titulis eorum præmitti solita arguere videntur: quanquam alios aliam hujus prædicati originem facere me non fugit; *Vid. LIMN. lib. 4. cap. 6. num. 32.*

XXXVII. Superest, ut quâ ratione Landsassius nexu quis solvatur, dicamus. Nihil tam naturale esse, quàm unumquodq;

quodq; eo genere dissolvere, quo colligatum est, habet *L. 35. π. de R. I. supra a. tb. 28.* duas ob causas Landsassiatum induci statuimus, domicilium nempe & immobilium possessionem: nam originis jus hodiè non aliàs spectatur, quàm quatenus domicilii translatione mutatum non est *GAIL. 2. obs. 36. n. 7.* adeoq; non tam propter originem quàm domicilium subjectionem inducit. Hinc ergò sequitur, si quis imòbilia possidere desinat, aut domicilium mutet, Landsassiatum nexu eum liberari. Utrumq; libertatis est, adeò ut domicilium mutare & aliorsum migrare, etiamsi territorii Dominus dissentiat, modò non fiat malitiosè, statuant *BRUN de Jure Univ. tb. 39. MÆV. ad Jus Lubec. 1. tit. 2. art. 2. n. 69.* Rectè sanè, nisi territorii Dominus Landsassios non subditos tantum, sed & servos sibi esse probare possit. Neq; obstat, quod verba homagii, quo obedientiam promittere solet Landsassius, indefinita, & neq; possessione rerum immobilium, neque domicilio circumscripta sunt. Respondemus enim, non ideò Landsassium quem esse, quod jurat, sed quia Landsassius est, ideò jurat, ut multis probat *REINK. 1, 5, 4, 6.* cui consequens est, juramentum ex subjectione, quam absque juramento debet Landsassius, tanquam juramenti fundamento interpretandum esse. Atque hanc sententiam, quod cujuscunq; fortunæ subditus bona immobilia deferere ac domicilium & per consequens superiorem suum migratione mutare possit, nisi persona servitute affecta sit, satis probat textus in *REC. IMP. de An. 1555. §. Wo aber unsere/in eamq; votis Facultatis nostræ semel iterumq; itum memini.*

XXXVIII. Hactenus de Landsassius; quibus aliqua de eorum distributione in *Schriftsassios & Ambtsassios* his oris usitatâ subicere placet. Solâ enim Saxoniam nostrâ, h. e. provinciis Saxonibus Ducibus subiectis hanc distinctionem contineri rectè notat supra laudatus *MAURITIUS de Nobilib. num. 31.* & consentiunt *BESOLDUS Thesaur. Pract. in verb. Ambtsassen/ ut & in verb. Schriftsassen. KNICHEN. de Vestitur. paction. Part. 2. c. 5.* ac quotquot ferè hanc materiam attigere Dd. nostri. Observavi tamen in adjacentibus regionibus, cum primis in vicino Archi-Episcopatu sive Ducatu Magdeburgensi

eandem differentiam inter subditos ad exemplum scil. Saxonicarum nostrarum provinciarum sensim introduci. Num satis firmo fundamento equidem dubito.

XXXIX. Porro notandum h.l. est, quamvis generale Landsassiorum nomen eo sensu, quem *ib. 21.* explicavimus, omnibus Serenissimorum Saxoniae Principum subditis conveniat, hanc distinctionem tamen tantum ad eos pertinere, qui *immediate* laudatis Ducibus parent. Sic cives, qui oppidano Magistratui, rusticos, qui Nobilibus parent, neque Schrifffassios neque Ambtsassios recte quis vocaverit, sed tantum insigniores illos harum provinciarum incolas, qui, ut dixi, immediate Principi subsunt, ut & communitates simul sumtas, h. e. civitates. Nam civitatibus etiam hanc distinctionem applicari, recte docet *Magnif. Dn. CARPZOVIIUS in Proc. Jur. tit. 2. art. 2. n. 164.* ac id ipsum alias quoque in vulgus notissimum est.

XL. Vocis etymon quod concernit, illos Schrifffassen / item Cansleyassen / item Cansley-schrifffassen / hos Ambtsassen appellari satis constat. Vocabulo *Ambt* / vel antiquè *ambacht* (ab *ambacht*o Celtico deductum *BESOLD. de nat. popul. fol. 88.*) praefectura vel districtus regionis, qui à Praefecto aliquo regitur, denotatur; alio nomine eius *Pflege* dicitur. Cancellaria vocabulum (à cancellis ductum, quibus secretum olim designabatur *PETR. PITHOEUS lib. 2. advers. 12 p. 431. ex CASIODORO*) illam partem officiorum domus Principalis notat, quae res Epistolaris & quicquid literarum ope indiget, explicatur. Scriptura verò sive *Schrifft* quid significet, notius esse puto, quam ut exponi debeat. Forte tamen hoc ipso vocabulo origo distinctionis nobis quodammodo ostenditur. Quid enim si dicamus, *Schrifffassen* sive ut loquitur, die *Ordnung des Churfürstl. S. Oberhoffgerichts zu Leipzig de Anno 1549. tit. Wer für das Oberhoffgericht mag geladen werden: die auffsonderbare Schrifft der Churfürstl. Cansleyassen* / antiquitus eos fuisse, quibus tanquam honestioribus, mandata Principis literis ex Cancellaria datis significarentur, cum reliquis *Ambtsassios* sc. eadem vivâ voce per Praefectos exponerentur.

XLI. Sed operæ pretium erit accuratius in hujus rei *origi-*
mem

rem inquirere : de quâ duas reperio auctorum opiniones vel
conjecturas. Alii enim putant, causam in eo ponendam, quod
nobiles quidam prædia rustica sub Præfectis sita acquisierint
ac postea qualitati feudali subjecerint, sive, ut Germanicè lo-
quimur, haben solche Vauergüter dem Landes-Hürsten zu Lehen
aufgetragen/ quæ qualitas feudalis jurisdictionis rationem, quâ
Præfecturis obstringebantur, mutare haud potuerit, atque sic
ipsi Amtsfasii evaserint. Improbatur hanc discriminis ratio-
nem *KNICHEN. de Vestitur. paction. p. 2. c. 5. n. 4.* eò, quod &
in aliis bonis nobilitate veluti ab ævo donatis idem obtineat :
ipse verò *nn. seqq.* existimat, Principum potius destinatione cœ-
pisse, quod prisco ævo, tot hosticis incursionibus & diffidatio-
nibus pullulantibus, præfecturis prospiciendum esset pro re-
natâ, ut nobiles ad requisitionem Præfecti succurrerent. Prio-
rem tamen, quæ & communis est, rectiorem judicat laudatus
Dn. CARPZOV. loc. cit. n. 160.

XLII. Nobis neutra ex his opinionibus sese satis probat.
Non prior : quoniam, qui suscipiebat in feudum prædia rusti-
ca Princeps, æquè facile jurisdictionem immediatam illis con-
cedere poterat. Quid enim intererat Principis, per Cancel-
lariam suam an per Præfectos sive Quæstores in novos istos Va-
fallos imperia sua exequeretur, cum utriq; non suo, sed Princi-
pis tantum nomine illa exercerent, ac exerceant hodièque ?
Neque posterior : quoniam à necessitate bellicâ ad univer-
sam regiminis explicationem ac cum primis Idictionis civi-
lis administrationem minus rectè infertur. Quid quod u-
traq; hæc ratio in nobilibus aut Vasallis tantum locum ha-
beat, nec ad civitates commode applicari possit ? At in his
quoque distinctionem inter Amtsfasios ac Landsfasios obti-
nere supra nos ostendimus Th. 39. Vidit, ut puto, has difficul-
tates *GASPAR ZIEGLERUS, Magnifici Ordinarii nostri Pa-
rens cognominis b. m. in utilissimis suis Conclusionn. ad Aur. Prax. Cal-
vol. 5. Schriftfasii & Amtsfasii*, ideoq; postquam recensuisset
ibidem utriusq; sententiæ fundamenta, calculum suum alter-
utri addere ausus non est. Nec alia forte mens fuit sapius lau-
dati *CARPZOV. loc. cit. ut innuit n. 161.* Certius quid ab iis
habe-

haberi posse, quibus Archiva inspicere datum, dubium non est: neque nos conjecturam hanc in causa nostram adeo promerere veremur, nisi documentis quibusdam deficeremur, quæ neque per amicos impetrare potuimus, ut propterea vela nunc contrahere, & dicenda soli Circulo nostro Electorali, ut vocant, adaptare oporteat.

XLIII. Præmittimus autem, quod satis constat, Schriftsaffiorum notam esse, si primam, ut loquimur, instantiam coram iudicio curiali fortiantur: eò quod istis iudiciis concurrens cum Cancellaria Principis data fuit iurisdictio, ut bene monet *Dn. CARPZOV. in Proc. Jur. Tit. 2. art. 2. n. 98. § 163.* Addimus jam ipsa verba *ordinat. iudic. nostri Curialis à D. MAURITIO Electore promulgatæ anno 1550. Tit.* Wer vor das Hoffgericht möge geladen werden. Alle so von Uns und Unserm Churfürstenthum belehnet/und häuslich auff dem Lande/oder in Städten Unsers Churfürstenthumbs sitzen/oder Feuer und Rauch darinnen halten/durch persönlich wesentlich Wohnung/oder sonst ihren meisten und besten Theil ihrer Haab und Güter darinnen haben/unangesehen/ob sie der ende persönlich nicht wohnen/oder auch weder Feuer noch Rauch halten. Desgleichen wo sich Klagen erheben/umb die Güter so in unserm Churfürstenthum gelegen/in den Fällen/alle wie berührt/sollen und vermögen die Rechtfertigung an solchen Unserm Hoffgericht gehandelt und fürgenommen werden/auch sonst in allen andern Fällen/so im Recht nachgelassen seyn/darzu sollen auch die Städte/als Commun- und Räte derselbigen in allerley Sachen/sie haben Lehen vom Hause zue Sachsen oder nicht/desgleichen eingele Bürger/wo die Sachen und Sprüche das Lehen belangete und dinglich wäre/darumb solche eingele Bürger beschuldiget wolten werden/darzu Ambrleute/So mag auch ein jeder von den Gerichten/so wir in den Städten besetzt/oder die Städte selbst haben/desgleichen von des Adels und der Dörffer Gerichten/wo ihme die Gerechtigkeit versaget/oder sonst beschwert wird/an Unser Hoffgericht oder Uns appelliren/und die appellation oder andere Beschwerung/so ihme begegnen mag/daselbst gerechtfertiget werden. Eadem verba leguntur in *primâ hujus iudicii fundatione D. JOANNIS Electoris p. m. unterm dato*

dato Dienstags nach Lucia Anno M. XVC. XXIX. additurque:
denn ohne das/wo allein der Ritterschafft Sachen vor unserm Hoff-
gerichte solten ausgetragen werden / so káme zuweilen / daß wenig
Sachen wären/und wir zue vorgeblicher Unkost verursacht.

XLIV. Ex his apparet, primam Instantiam in iudicio no-
stro Curiali juxta ejus foundationem sortiri, adeoque Schrift-
falsios esse, *Vasallos domus Saxonica*, quotquot in Circulo Ele-
ctorali domicilium habent: dico *Domus Saxonica*, h. e. qui In-
vestituram feudi in Cancellariâ Electorali petunt: namque
Præfecturarum Vasallos, & qui feudi renovationem à Præfe-
ctis & Præfecturarum Capitaneis petunt, Amtfalsios esse du-
bium non habet. Præter istos autem Vasallos Electorales in
Circulo Electorali habitantes iudicio huic Curiali vi dictæ or-
dinat. subjiciuntur, communitates atq; *civitates* omnes, item
officiales Electorales, ac deniq; Vasalli etiam alibi degentes,
itemq; *Burgenses*, quoad causas feudum, si quod à *Domo Saxoni-
câ* in Circulo Electorali habent, concernentes.

XLV. Verum enim vero, non omnes istos hodiè Schrift-
falsios esse satis constat: & quâ factum, quod in ipsâ, ut dici-
tur, Matriculâ iudicii nostri Curialis complures Vasalli *Do-
mus Saxonica* inter Amtfalsios recensentur? Valdè moveor,
ut credam, omne id usu magis ac observantia invaluisse, quam
certo & constituto jure: cujus rei argumentum habeo, quod
non paucæ ex civitatibus circuli nostri Electoralis superio-
ribus bellis attritæ sibi aliquandiu ut Amtfalsiis à vicinis
Præfectis imperari passæ sunt: quas tamen Schriftfalsias esse,
non tantum ex allegatâ *Foundatione*, verum etiam ipsâ, quam
diximus, Curia nostræ matriculâ apparet, imò quas à Cancel-
lariâ *Serenis. mi* Electoris nostri pro talibus hodiènum haberi
ex actibus possessoriis satis constat. Atq; in hâc sententiâ con-
firmor, quod video, consensus in oppignorationes talium Feu-
dorû (*Consenslehen*) à Quæstoribus nomine Præfecturarû dados,
quod sæpius factum memini, invalidos pronunciatos esse, utut
jurisdictionis ratione Amtfalsii juxta mores receptos fuerint
Vasalli oppignorantes: *Dn. CARPZOV. Lib. IV. Respons. Elect. 30.
n. 7.* Matriculam verò quod attinet, cum lateat quo auctore &

D

quan-



quando conscripta illa sit, haud magnum momentum in eâ ponendum est, nisi quatenus de observantiâ testatur: haec enim ob antiquitatem admitti potest: *arg. eorum, quæ tradunt M Y N S. Cent. 5. obs. 79. & ab eo allegari.*

XLVI. Nemini quidem hanc nostram sententiam, aut si mâvis, conjecturam obtrudere volumus; quin & ipsi certiora edoceri vehementer cupimus: ita tamen in re obscurâ sensisse, ac quod sentias prolocutum esse fraudi non erit, cum Serenissimi Electoris nullatenus interfit, per Præfecturas potius, quam Curias aut Cancellariam jurisdictione ut explicetur, possitque ipse, si ita videretur, omnes Ambtsassios sine ullâ ullius hominis injuriâ Schriftsassios efficere. Quæ enim differentia introducitur, cum Principis nomine fieri intelligatur, sive per Præfectos, sive per Curias & Cancellariam jurisdictione administratur, ut sunt ferè verba *JUSTINIANI NOTRI in pr. L. Benè à Zenone 3. C. de quadrienn. prescript.* Ceterum admittâ nostrâ sententia, consequens illi erit, Schriftsassios haberi, quotquot Th. 44. enarravimus, donec aliud & Ambtsassium quem esse probetur: contra ac alii sentiunt, qui unumquemque Ambtsassium tamdiu præsumunt, usque dum exemptionem & Schriftsassiatus prærogativam ostenderit. Ratio asserti nostri est, quoniam fundatam in jure, scilicet d. Ordinatione judicii Curialis, intentionem habent: præsumitur autem unaquæque res talis, qualis à jure formata est, *W E S E M B. parat. de probat. & presunt. n. 15.*

XLVII. Transeamus ad ipsius rei explicationem, & videamus, in quo Ambtsassii à Schriftsassiis differant. Diximus supra Th. 39. & Schriftsassios & Ambtsassios immediatè Principi parere: qui tamen *diversimodè jussa sua illis exponere solet: Schriftsassiis nempe, ut territorii Princeps per Cancellariam; Ambtsassii ut Præfectura Dominus, per Quæstores & quandoquæ Capitaneos.* Videntur enim qui apud Veteres Germanos Comitatus erant, pluribus deinde Comitatus in Principatum unitis (neque enim prorsus à vero aliena sunt, quæ de 12. Comitatus olim ad Ducatum unum constituendum requisitis vulgò feruntur: *Vid. HOTTOM. in verb. feudall. vocab. Du-*

ces, HEIGIUM P. 1. q. 2. n. 38. LIMN. l. 4. c. 3. n. 21. CHRON-
CON. THURING. VETUS M. Stum. ubi enarrat ritum
quo LUDOVICUS III. Comes à Socero Lothario Saxone
Imperatore Princeps factus est: Und gab ihm einen forstelichen
Namen / daß her heissen solde der Landgraffe zu Doringen und en
Herre zu Hessen / und forstente yn mit XII. Graffen zu erbe Hoffege-
sinde &c.) magnam partem in Præfecturas mutati esse. Atque
hæc primaria procul dubio & principalis differentia ratio est:
cui innititur altera, *justitia administratio* & jurisdictionis exerci-
tium in *Ambtsassios à Præfectura Officialibus*, in *Schriftsassios* verò
à *Cancellaria Principis vel Curialibus judiciis* expediendum.
Namque Senatum Aulicum ac Curias provinciales in exerci-
tio jurisdictionis Seren. mi Electoris nomine administrandæ
concurrere, ad eò ut præventioni locus sit, satis constat **ORDI-
NAT. APPELLAT. CHRISTIANI II. ELECTOR.**
tit. Wer vor unser Appellation-Gericht geladen s. des gleichen
weil ohne das § sequ. Dn. CARPZOV. Proc. jud. tit. 2. Art. 2.
n. 98. § seqq.

XLVIII. Quod autem Præfecturarum officialibus in
Ambtsassios dedimus jurisdictionis exercitium de *primâ*, ut lo-
quuntur, *instantiâ* exaudiendum est: per viam enim appella-
tionis causas Ambtsassiorum vel ad Curialia judicia vel Se-
natum Aulicum & Appellationum, utrum scil. Appellans ma-
luerit, devolvi nihil impedit: id quod quotidiana testatur
experientia. Sed & *aliis modis* accidit, ut primam instantiam
coram Curis Provincialibus fortiantur Ambtsassii, quos e-
narrat ZIEGLER. *ad Aur. prax. Calvol. §. Schriftsassii &*
Ambtsassii in Limitationib. ad Conclus. 1. Potissimi sunt (1.)
denegata ab officiali aut protracta justitia administratio, Ober-
Hoffgerichts Ordn. tit. Wer vor das Ober-Hoffgericht
mag geladen werden. Es sollen aber die andern Edelleute,
Bürger oder Bauern / vorhin vor ihrem Ambtmann oder Gerichten,
in des Ambt oder Gerichten die gefessen / oder vor dem jenigen / dem sie
unterworffen / geheissen werden / und vor diesen Unsern Obern-Hoff
gerichte zu stehen nicht pflichtig seyn / es wäre denn daß von ih-

me Rechts geweigert oder die Klägere unziemlich verzogen würden/ quod & alias juri communi convenit, ut inferiore judice complementum justitiæ non exhibente ad superiorem causa devolvatur *C. LICET. 10. c. EX TENORE 11. X. de FORO COMPET. ORDIN. CAMER. P. 2. tit. 1. §. fin. & tit. 26.* Tenetur tamen, qui de denegatâ aut protractâ justitiâ in Curiâ conqueritur, illud probare aut juramento asseverare, Ober-Hoffger. Ordn. tit. all., verb. der soll zuvorn von dem Hoffgerichts-Schreiber eydlichen erhalten oder günglich beweisen / daß ihme durch den Amtmann oder Richter/unter deme derselbige / den er fürzuladen lassen gemeynet / gefessen/ Rechts geweigert oder gefährlich verzogen / ubi cautela loco ad subterfugiendum hoc juramentum tradunt, atq; sic practicari attestantur insignes Practici, ut Actor Magistratum ipsum ob denegatam vel protractam justitiam in Curiâ conveniat, & simul contra adversarium suum, Amtsfasium scil. agat. *ZIEGLER. alleg. loc. n. 7. BERLICH. Part. 1. conclus. 3 num 9. (II.)* Conveniri in Curiâ omissio officiali Amtsfasius potest ob *causa continentiam*, h. e. si unâ eademque actione cum Schriftfasio pulsetur, *BERLICH. loc. cit. num. 10.* quod itidem juri communi convenit, *CAP. FIN. X. de rescript. tot. tit. ff. de quib. reb. ad eund. jud. L. NULLI 10. C. de judic. GAIL. 1 observ. 32. MYNSING. Cent. 1. obs. 4.* Deniq; (III.) si Amtsfasium Actorem in Curiâ reconveniat Schriftfasius, in causis, quibus jure nostro locum habet reconventio, scil. connexis *P. 1. CONST. ELECT. 7. ORD. PROC. JUDIC. tit. 6. von der Wiederklage §. dieweil aber/ Dn. CARPZOV. Proc. jur. tit. 6 art. 3. §. 3. & 6. BERLICH. loc. cit. n. 11. ZIEGLER. loc. cit. n. 15.* Est enim Reconventionis is effectus, ut, qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, si ipse ibi agat, cogatur excipere actiones *L. qui non cogitur 22. ff. de judiciis FRIDER. MINDAN. L 3. de continent. caus. cap. 6. & 7.* qui nec jure Saxonico sublatus est, *ORD. PROC. JUD. all. §. dieweil aber.*

X L I X. Cæterum cùm reconventio jure Saxonico nonnisi finitâ conventionem institui possit *P. 1. CONST. ELECT. 7. ORD. PROC. JUD. tit. 6. in pr.* secus ac jure communi, quò judicia conventionis & reconventionis simul tractantur *c. Ex LITERIS 1. X. de mutuis petit. ea propter ne actor obtento per conventionem*

nem sine suo fructretur reū, qui forte illum reconvenire volet,
 moribus introducta cautio est, quæ pro reconventionem dicitur,
 qua securum facit reum de stando & respondendo in eodem
 iudicio, coramq; eodem iudice in casu propositæ reconventio-
 nis, Dn. CARPZOV. in Proc. Jur. tit. 9. art. 5. n. 4. Adjungi huic so-
 let cautio pro refundendis expensis conventionis, si ex eventu ap-
 pareat, actorem frivole reo litem movisse: Unde uno nomine
 dicitur Vorstand vor die expens und zur Widerklage. P. 1. Const.
 Elect. 5. Porro, cum immunis ab hoc onere cavendi actor im-
 mobilium, in Electoratu Saxonie sitorum, possessor sit d. Const.
 5. verb. der so unter uns Güter hat und gnügsam in unsern Landen be-
 sessen / soll den Vorstand vor die Expens und zur Wiederklage zu be-
 stellen nicht schuldig seyn / alia olim circa hanc rem ex stylo Curie
 observabatur differentia inter Schriftfassen & Amtfassen,
 nempe ut isti quidem actores in Curie eâ immunitate gaude-
 rent; hi, Amtfassen scil. non item: MÖLLER. ad d. C. 5 n. 15.
 SCHULTES P. 1. Observ. 22. quod trahebant verba d. const. 5. fi-
 nalia, wir wollen aber auch solches Vorstandes halber Unsere Hoff-
 gerichtis-Drängung nicht aufgehoben haben / sondern lassen dieselbige
 dieses Puncts wegen bey Kräften und Würden bleiben. Sed hæc
 differentia postmodum per expressam sanctionem in Ord. Proc.
 judic. tit. vom Vorstand 5. abrogata, & Amtfassen hanc in parte
 Schriftfassen exæquati sunt: verb. Nachdem auch der Kläger
 einen Vorstand der Expens und Wiederklage halben zu bestellen
 pflichtig / und aber in vielmeldter Constitution verordnet / daß al-
 lein die / welche in unsern Landen nicht gesessen / und vor Uns klagen
 würden / hier zu verbunden / die andern aber / so unter Uns begüttert / da-
 mit verschonet werden sollen / so soll es auch hinführo ohne Unterscheid
 der Schrift- und Amtfassen dabey verbleiben / adde BERLICH.
 P. 1. conclus. 20. n. 4. & seqq. Dn. CARPZOV. Proc. Jur. Tit. 9. art. 5.
 §. 6. num. 73.

L. Coronidis loco querere lubet, num civitas aliqua Schrift-
 fassa esse, ac nihilominus jurisdictionis in illâ exercitium Præfecturae,
 in quâ sita, competere possit? Binæ cum sint Jure Saxonico spe-
 cies Jdictionis, alta nimirum & bassa, die Ober- und Nieder-Ge-
 richte (de quibus Vid. ORDINAT. PROVIN. de Anno 1555.
 p. 60. tit. was zu Ober / Nieder und Erb-Gerichte gehöret Dn. CARP-

207. *Prax. Crim. qu. 109.*) de priori dubium fere non subest, ac quotidiana experientia id ita praticari testatur. Circa posteriorem verò, bassam nimirum, movet, quod ex Dd. sententiâ jure municipii concessio j. dictio ista tanquam necessarium consequens, simul concessa intelligatur: *OBRECHT. de j. ditione Tb. 299. n. 304. SCIP. GENTIL. de j. dict. L. 2. cap. 5. & 6.* quod multis firmat *ZAHN. de Jur. municip. c. 7. & seqq.* accedit item, quod Schriftfashiatus privilegium civitati concessum, & omnigena jurisdictio per Præfecturæ officialem exercenda, vix commodè simul stare possunt. Contra ea quorundam municipiorum usus & hoc admisisse videtur, adq; idem allegari potest textus in der *Wittenbergischen Hoffgerichts-Ordn. tit. Wer vor das Hoffgericht möge geladen werden. verb. So mag auch ein jeder von den Gerichten/so wir in den Städten besetzt/oder die Städte selbst haben/an unser Hoffgericht oder Uns appelliren.* Verum, cum in foro hæc questio nunc agitur, ne alterutri parti præjudicium creâsse videamur, definire illam impræsentiarum abstinemus; quam & alias, quoniam ad regiminis publici rationem pertinet, Principali ordinatione indigere putamus. Illud interim pro explorato habemus, sicubi J. dictionis etiam bassæ exercitium in civitate Schriftfashiâ Officiali ex observantiâ competat, illud ad causas Universitatis extendendum

non esse. TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.

SUPERPONDIA

à RESPONDENTE adjecta.

I. **J**uramentum perhorrescentiæ, cujus Pontifex Romanus **BONIFACIUS VIII.** tanquam verus illius Autor in *c. STATUTUM de Rescript. in 6to,* meminit, etiam contra totum collegium, sive sit concilium, Consistorium, capitulum, vel Senatus admittitur *arg. cap. IV. X. de foro compet. Clementis. pastoralis de re judicat.*

II. Regi Romanorum, ut tali, vivo adhuc Imperatore, non competit jus Nobilitandi, nisi specialiter hoc ab Imperatore ipsi sit concessum, *Capitul. FERDINAND. III. art. 47.*

Vicarius verò Imperii, tempore Vicariatûs illud asseritur:
omnia

omnia enim ipsis præter excepta in *A.B. tit. 5. concessa*, quæ ad administrationem imperii & justitiæ faciunt.

III. Ut aliquis Princeps imperii, *Reichsfürste* sit, requiritur, ut talis feudū nomine Principatus teneat ab Imperatore. Quavis n. Imperatori integrum sit, alicui hanc dignitatem conferre, licet nullum Principatum in Imperio Romano possideat, is tamen à Statibus non admittitur ad sessionem & votum imperii, nisi specialiter ista requisita intervenerint, & adimpleta fuerint, *per tex. in X. A. ult. §. ult. liber dieses de Anno 1654. Capitul. Leopoldin. §. 44. vers. des gleichen wollen wir.*

IV. Comes Palatinus subditum quoq; provinciæ, quæ ad imperium pertinet, licet in illâ Princeps cum jurisdictione summâ & ad heredes transitoriâ investitus sit, legitimare potest; De subdito verò illius provinciæ, quæ nullo modo imperio est agglutinata, id nego. Unde, cum Johannes Navarrus, qui pro Comite Palatino se gerebat, autoritate Pontificis natalibus quosdam restituisset in Gallis, Majestatis damnatus fuit decreto Curia Tholosanæ, ut refert *Magnif. Dn. CARPZOVIVS de Lege Reg. Germanor. c. 10. sect. 10. n. 11.*

V. Jus concedendi saluum conductum & securitatem delinquentibus non solis competit Statibus Imperii, verum omnibus merum imperium sive altam jurisdictionem habentibus, tanquam sine quo illa commodè explicari nequit, *Magnif. Dn. CARPZOVIVS Prax. Crimin. quest. 112. num. 23. WESEMB. Cons. 33. n. 19. TREUTLER. V. i. D. 5. tb. 6. lit. D.* Imò in Ditionibus Electoralibus unaquæq; citatio saluum conductum generalem inducit, *Dn. CARPZOV. d. l. n. 18.*

VI. Judæi non sunt tolerandi in Republ. Christianâ. Hosce tamen semel in protectionem receptos non licet contra pacta ejicere. Sed quaritur, data Judæis fides an interpretationem accipiat de datâ in perpetuum; an verò de datâ usq; ad beneplacitum? Ego pro posteriori concludo propter odium Judæorum.

VII. Peregrini hereditatem Professorum vel aliorum Academia membrorum defunctorum exportantes, Gabellam Magistratui Academico, non senatui oppidano, solvere tenentur nisi aliter convenerit. *BERLICH. Part. 3. Concl. 52. n. 36.*

VIII. Doctores Juris se nobiles ex jure probare possunt. Ad

Ad

Pereximium, Doctissimumq; Virum - Juvenem

DN. BECKERUM,
cum de **LANDT-SCHRIFT- & AMBT-**
SASSIATU publicè disputaret:

Ad illud Scaligerianum lib. 3. Epidorp.

LABOR PATER FRUITIONIS;

F*ormica & apes nos operaria docebunt
Pro parte laborare, dein frui labore.*

H*Y*blæo mellita favo, gens ebria rore
nectareo, metuensq; gravem formica se-
nectam

parvula, granifero solitum vehit ore canistrum,
illa etiam calathos volitans per amæna vireta
implet, & omnigeno distendit nectare cellas;
quæ tandem parto meritoq; labore fruuntur.
Huc huc quisquis amas granis & melle cibari,
huc oculos mentisq; jubar converte, videbis
quæ via, quæq; tibi sit meta probata terenda;
Principium dari series immensa laboris
ducat, & insomnes veniant prius ordine no-
ctes,

dein, credas, dabitur læto sudore fruisi.

JOACHIMUS Nerger / D. & Prof. Publ.

*Curia Electoralis, Scabinatus & Juridica Fa-
cultatis, nec non Judicii Provincialis, quod est
in inferiori Lusatiâ, Assessor.*

Ad
CLARISSIMUM ac PRÆSTAN-
TISSIMUM
DN. BECKERUM J. U.
CULTOREM,

Fautorem atq; Amicum suum honorandum.

Nullusne finis est laborum? Num dies,
Noctes, sine ullâ intercapedine temporis,

Molestiaq; quam subiisti strenuus

BECKERE, grassandum bonas in literas,

Arcana juris utriusq; doctaq;

Responsa Doctorum? Tibi satis non fuit

Tacitis libellis immori: quoties tibi

(Quod sepè factum novimus) aperta Cathedra

Est publica; toties eruditione eam

Rarâ tuâ animâsti, hanc probâsti singulis

Nunc de novo Te publico sistis, nova

Certamina movens de capite Tuâ indole

Condigno Et ingenio, atq; sic Te comprobas

Dignum, cui, ut præconia merentur Tua

Virtutum, honores conferantur maximi.

Vox omnium est: Feliciter! Feliciter!

CONSTANTINUS Ziegler/
SS. Th. D. P. P.

Zfg

30
Stets nicht ein köstlich Thun in seiner grünen Jugend
Auff nichts als Wissenschaftt/auff ewigliche Tugend
Sich legen Tag und Nacht? denn solches ist der Weg
Zur rechten Ehrenburg / diß ist der schöne Steg
Zur grauen Ewigkeit. In dem Du nun ersiehst
Denselben / Liebster Freund / und rühmlich Dich bemühest
Darinnen stets zu gehn / so windet schon zum Lohn
Die Themis einen Kranz Dir ihren werthen Sohn.

Dieses setze hinzu seinem wertheften Freunde zu
steter Erinnerung gepflogener aufrichtigen
Freundschaft

Hennigus Jürgens / Juris Studiosus.

Sonnet.

Srecht/geehrter Freund. Dein sonst belobter Fleiß
Mag niemahls stille seyn. Wir/Deine Freunde/wissen
Wie Du den Rechten Dich bishero hast beflissen
Mit sonderbahrer Müh: Und weil auch solches weiß
Das ganze Wittenberg / so wird für solchen Schweiß
Dir billig kommen zu die Ehre zugenissen
Womit die Themis pflegt die Arbeit zuversüssen.
Auff Fleiß und Tugend folgt doch lezlich auch der Preis.
Wohlan ich wünsche Dir: Es müsse bald geschehen/
Daß Dich die deinigen in hohen Ehren sehen/
Und werde dann durch Dich manch grosses Werck verübt.
So wird sich über Dich das Vaterland ergehen/
Und Dich mit diesem Ruhm zum Beyspiel allen setzen:
So geht es dem/der Kunst und Wissenschaften liebt.

Dieses setze seinem hochwerthen Freunde zu schuldiger Ge-
müths-Bezeigung hinzu

Johann Conrad Schrödter/
der Rechte beflissener.



Wittenberg, Diss., 1664-65


ULB Halle 3
004 716 361



7

VD17







1664

C. B. D.
EX JURE PUBLICO
De

LANDSASSIIS,
ITEMQUE
SCHRIFTSASSIIS
ET AMBTSASSIIS,
CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM
ORDINIS, IN ACADEMIA WITTEN-
BERGENSI,
PRÆSIDE
NOBILISSIMO
DNO. WILHELMO LEISERO,
JCTO ET P.P. EXCELLENTISSIMO,
CURIÆ ELECTORALIS, FACULTATIS
JURIDICÆ ET SCABINATUS ADSESSORE
AMPLISSIMO,
PATRONO ET PRÆCEPTORE REVERENTER
ET SUBMISSE COLENDO
PUBLICE DISPUTABIT
AUGUSTUS BECKER
STOLPENSIS.
IN AUDITORIO JCTORUM, A.D. AUGUSTI.
ANNO PARTÆ SALUTIS CL. IOC. LXIV.
HORIS ANTEMERIDIANIS.
Typis MICHAELIS Wendt.

